



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Pavli Diaconi De Gestis Romanorvm Liber Decimvsqvartvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

## PAVLI DIACONI DE

GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVS

QVARTVS.



**L**GITVR Imperator Honorius, dum uires reip. quotidianis cerneret labefactari incōmodis, uirum strenuum, & bellicosum Constantinū comitem ad Gallias cum exercitu misit. Is mox ut Galliam ingressus est, continuo Constantium tyrannum apud Arelatem extinxit. Constans uero eius filius à Gerontio suo comite Viennæ peremptus est. In cuius locum Gerontius Maximum quendam substituens, à militibus suis iugulatur. Maximus deinde purpura exutus in Hispania exulans obiit: exinde Iouinus apud Gallias mox ut assurrexit, cecidit. Sebastianus tyrannus frater eius continuo creatus occisus est. Tertullus consul, qui se principem in senatu futurum gloriatus est, pari nihilo minus exitu periit. Attalus à Gothis Imperator effectus est, postmodum captus à Constantio, missusq; Honorio, truncata manu, uitæ relictus est. Heraclius quoq; cum Sabino genero cum tribus millibus ac septingentis nauibus ex Africa Romam tendens, sed per occursum comitis marini territus, & in fugam uersus, arrepta nauis solus Carthaginem rediit, ibiq; peremptus est. Hos omnes Honorius optima religione, magnaq; Constantij industria superauit. merito sanè: nam his diebus præcipiente Honorio, fauente Constantio, sopitis apud Africam hæreticis, pax ecclesijs redditur: in qua fulgentissimus tunc apud Hipponè Regium, totiusq; magister ecclesiæ florebat Augustinus. Interea Vuallia Gothorum rex dei iudicio territus: Placidiam apud se honeste habitam, exigente Constantio, fratri Honorio reddidit: pacemq; cum eo datis obsidibus pepigit: scq; pro Romanis aduersum Barbaros, qui Hispanias inuaserant, pugnaturū sponndit. Mittunt e contrario Vuandalorum, Sueuorumq; reges principi Honorio legationem his uerbis. Tu cum omnibus pacem habe: omnium obsides accipe. Nos nobis conflagimus: nobis perimus. Vicinus tibi, tuæ erit quæstus Reip. si utriq; pereamus. His itaq; tantis incommodis deo fauente sopitis, Honorius Galliam Placidiam germanam suam, Constantio suo comiti, fide integerrimo, & ingenti uiro iandudum promissam, magno cunctorum gaudio sociauit, ex qua Valentinianum filium Constantius genuit, qui postea Reip. imperium gessit. Hoc in tempore foedus Constantius pepigit firmissimum cum rege Gotthorū Vuallia, tribuens ei ad habitandum Aquitaniam Galliarum prouinciam, eiusdemq; prouinciæ quasdam ciuitates uicinas. Cernens itaq; Honorius ubiq; se Constantij uirtute & ingenio, seu per bella, seu pacis moderatione tueri, eum cunctis adnitentibus apud Rauennam in regni consortium adsciuit.

Z qui nec



*Et de hinc Hieronim.*  
*mj :*

qui necdum septem mensibus euolutis, ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethlechem Palaestina, beatissimus Hieronymus, expletis nonaginta & octo uitae annis, ad CHRISTVM migravit. Sequenti tempore, Maximus apud Hispanias factione Iouiniani, qui tunc in re militari primus habebatur, tyrannidem arripuit. Nec multo post superati utrique & capti ab Honorij exercitu, eidem cum apud Rauennam tricennialia sua perageret, praesentantur. Hac tempestate Britanni, Scotorum, Pictorumque infestationes non ferentes, Romam mittunt: ac sui subiectione promissa, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio, magnam Barbarorum multitudinem strauit, caeterosque Britanniae finibus expulit. Sed mox, ut decessere Romani, aduectis iterum nauibus, hostes obuia quaeque sibi conculcant ac deuorant. Rursumque aduolant Romani, caesumque hostem trans maria fugant. Hoc tempore dum Vuandali, Alanique Hispaniam infestarent, Honorius ad eas defendendas, Castinum ducem cum exercitu dirigit: qui Castinus praclarum uirum Bonifacium, ac bellicis artibus exercitatum, inepto & iniurioso suo imperio, ab expeditionis suae societate auertit. Bonifacius uero periculosum sibi, indignumque ratus eum sequi, quem discordem, superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit: magnumque postmodum reip. detrimentum, totiusque Africae causa excidij extitit. Castinus uero tanto collega ob suam intemperantiam priuatus, nihil dignum in Hispanijs gessit. Inter hac Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa, ad orientem cum Honorio & Valentiniano filijs profecta, a Theodosio Augusto Arcadij alterius Germani sui filio, honorifice, libenterque suscepta est. Honorius uero postquam cum minore, de quo praemissum est, Theodosio Arcadij Germani sui filio annis xv imperasset: cum iam antea cum fratre XIII annis, ac sub patre duodecim regnasset, Remp. ut cupierat pacatam relinquens, apud urbem Romam uita exemptus est: corpusque eius iuxta beati Petri apostoli atrium in mausoleo sepultum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duae Stiliconis filiae, id est, Maria & Hermantia, una post alteram ei coniugio sociata, utraque dei iudicio inopinata morte praeventa, ex hac luce uirgines migrauerunt. Fuit sane Honorius moribus & religione patri Theodosio non ualde absimilis: cuius temporibus quamuis multa externa bella surrexerunt, uel nullo uel minimo sanguine quieuerunt.

## THEODOSIUS IUNIOR.



**L**XEMPTO rebus humanis Honorio, fultus praesidio Castini magistri militum, Ioannes inuadit imperium, anno ab urbe condita millesimo centesimo septuagesimo septimo. Theodosius Arcadij filius, quadragesimus tertius regum Romanorum, orientale regebat imperium. Qui coperto patris sui Honorij funere, mox Valentinianum amitam suam Placidiam filium Caesaris effectum, cum matre sua Augusta ad recipiendum occidentis dirigit regnum.

Quo



Quo tempore Ioannes, dum Africam quam Bonifacius obtinebat, bellare poscit, ad defensionem sui infirmior factus est. Denique ueniens Placidia Augusta & Valentinianus Cæsar, mira felicitate eum continuo opprimunt, regniq; gubernacula uictores arripiunt: quorum tunc milites crudeliter Rauennam depopulati sunt, eo quod illius maxime ciues tyrannicæ parti fauissent. Castinū uero magistrum militum damnat exilio, cuius arripuisse factione Ioannes tyrannidem credebatur. Data Aetio uenia, eo quod Hunni, quos per ipsum Ioannes acceperat, eius studio remeassent ad propria. Valentinianus igitur consensu totius Italiæ Imperator efficitur. Itemq; ex decreto Theodosij Augustus appellatur. Dum hæc geruntur, Archillas nobile oppidum Galliarum, à Gothis multa ui oppugnatum est: donec imminente Aetio, non impuniti abscesserunt. Bonifacius inter hæc apud Africam potentia, gloriæq; augebat. Mittuntur aduersus eum Mauortius & Galbio: qui dum Bonifacium obsidere parant, ab eo interempti sunt. Exinde gentibus, quæ uti nauibus nesciebant: dum à concertantibus in auxilium uocant, mare peruium factum est. Rursus contra Bonifacium Sigifuldus comes dirigitur. Bonifacius uero sentiens se nõ posse tutò Africam tenere, cernensq; sibi periculum instare, in perniciem Reip. efferuescens, Vandalorum, Alanorumq; gentem cum Genferico suo rege ab Hispanis euocatos, Africæ intromisit: qui cunctam penè Africam ferro, flamma, rapinis crudelissime deuastantes, catholicam insuper fidem Arriana impietate subuertere. Sub hoc turbine beatissimus, de quo præmissum est, Augustinus Hipponensis episcopus, ne ciuitatis suæ ruinam cerneret, tertio eius obsidionis mense, sex & septuaginta annis uitæ expletis, ex quibus quadraginta in clericatu, seu episcopatu transegerat, ad CHRISTVM perrexit. Eodem tempore pace totius orbis ex mirabili cõsensione, Bonifacius ab Africa ad Italiam per urbem rediit, accepta magistri militum dignitate. Qui cum resistentem sibi Aetium prælio superasset: paucis interiectis diebus, morbo extinctus est. Aetius uero, cum deposita dignitate in agro suo degeret, ibiq; eum quidam eius æmulus, repentino incurfu opprimere tentasset, profugit ad urbem, atq; illinc ad Dalmatiam: deinde Pannonias ad Hunnos peruenit: quorum amicitijs, auxiliõq; usus, pacem principum & eius interpolatæ potestatis obtinuit: nec multo post patriciatus etiam dignitatẽ adeptus est. Post eam igitur, quæ præmissa est, Africæ cladem, data per Trigentium ad habitandum Vuandalis Africæ portione, pax eisdem necessaria magis q; utilis data est. His etiam temporibus, Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem, Aetius patricius bello obtriuuit, pacemq; ei supplicanti concessit. Interea Gothi pacis placita perturbant, & pleraq; municipia uicina suis sedibus occupant. Cumq; essent maxime oppido Narbonensi infestis, ciuesq; eius longa obsidione & fame affligerent: adueniens comes Litorius, hostes in fugam uertit: & ciuitatem allata frumenti copia à fame liberauit. Dehinc anno sequenti, bellum aduersum Gothos, Hunnis auxiliantibus gestum est. Hac tẽpestate Genfericus apud Africam intra habitationis suæ limites, cupiens catholicam fidem, Arriana impietate subuertere: quosdam nostrorum

Z 2 episcopos



episcopos eatenus persecutus est : ut eos priuatos iure basilicarū suarum etiam ciuitatibus pelleret , cum ipsorū constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet. His deniq; diebus Valentinianus Augustus ad Theodosium principē suum fratrualem Constantinopolim profectus est : filiamq; eius uxore accepit. Per idem tempus piratæ multas insulas præcipue Siciliam populati sunt. Inter hæc Litorius , qui secunda ab Aetio patritia potestate Hunnis auxiliantibus præerat , dum Aetij gloriam superare appetit : dumq; aruspicum responsis , & dæmonū significationibus fidit , pugnam cum Gotthis imprudenter conferuit : ac primū quidem magnā hostium stragem dedit . Postmodum uero suis penè omnibus trucidatis , ipse à Gotthis turpiter captus est. Postremo pax cū eisdem facta est , cum eam Romani post huius lachrymabilis belli perniciem humiliter q̄ unquam antea poposcissent. Aetio itaq; rebus , quæ in Gallijs cōponebant , intento , Gensericus , de cuius amicitia nihil metuebatur , Carthaginē dolo pacis inuadit : omnesq; opes eius , excruciatu diuerso tormentorū genere ciuibus , in ius suum uertit : nec ab ecclesiarū spoliatioe abstinens , quas sacris uasis exinanitas , & sacerdotum administratione priuatas , non iam diuini cultus loca , sed suorum esse iussit habitacula , in uniuersum captiuū populi ordinem sæuus : sed præcipue nobilitati & religioni infestus , ut omnino nō posset agnosci , hominibus magis , an deo bellum intulisset. Igitur Carthago ab Vuandalis hoc modo capta est , annis quingentis octoginta & quinque euolutis , postq̄ Romano ceperat iuri parere. Sequenti deinde anno Gensericus ad Siciliam transiens , dum magnis eam calamitatibus affligeret , accepto nuntio de Sebastiano , qui ab Hispanis ad Africam tenderet , celeriter Carthaginem redijt , ratus periculosum sibi , ac suis fore , si uir bellandi peritus recipienda Carthagini incubuisset . Verū ille amicum se magis q̄ hostem uideri uolens , dum de regis Barbari amicitijs improuise præsumpsit , infelici morte peremptus est. Post hoc Imperator Theodosius bellum contra Vuandalos mouit , Ariuindo , & Ausila , atq; Germano ducibus magna cum classe directis , qui longis cunctationibus differentes negotium , Siciliae magis oneri q̄ Africae præsidio fuere . Per hæc tempora Hunnis Thracias , & Illyricum sæua populatione uastantibus , exercitus , qui Siciliae morabatur ad defensionē orientalium prouincialium reuertit . Sub his ferè diebus ita terribili terræmotu Roma concussa est : ut plurimæ eius ædes , ædificiaq; corruerint. Britanni itaque , de quibus præmissum est , cum rursus Scotorū , Pictorumq; incursionibus premerent , mittunt Aetio epistolā lachrymis , erumnisq; refertam , eiusq; quanto cyus auxiliū efflagitant : quib⁹ cum Aetius minime annuisset , eo quod cōtra uiciniores hostes occupatus existeret : quidā Britannorū strenue resistentes hostes abigunt : quidam uero coacti hostibus subiiciuntur. Deniq; subactam Picti extremam eiusdem insulae partē , eam sibi habitationē fecere : nec ultra exinde hæctenus ualuerunt expelli. At uero residui Britannorū dum cōtinuos Scotorū impetus formidarēt : ultra iam de Romanorū præsidio diffidentes , Anglicorum gentes cum suo rege Vertegerno ad defensionem suae patriæ inuitauere : quos amicabili societate exceptos , uersa in contrario uice ho-

stes pro



stes pro adiutoribus, impugnatoresq; sensere. Sequēti deinceps tempore gens Anglorum, siue Saxonum Britanniam tribus longis nauibus aduehitur: quorum dum iter prosperum domi fama retulisset, mittitur nihilo minus exercitus multiplex: qui sociatus prioribus, primum hostes, propter quos petebatur, abigit: Deinde in Britones arma cōuertens, conficta occasione quasi pro se eis militantibus minus stipendia pręparassent: totam propē insulam ab orientali eius plaga usq; ad occidentalem incēdio sibi, seu gladio subegit. At uero Theodosius, dum absq; uigintiuno superioribus annis, quos cum Honorio patruo regnauerat, septem & uiginti annis imperium gessisset: ex quibus & cum Valentiniano genero uiginti quinque transegit, apud Constantinopolim morbo consumptus obiit, ibiq; sepultus est.

## PAULI DIACONI DE

GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVS

QVINTVS.

MARTIANVS, ET VALENTINIANVS IUNIOR.



ANNO ab urbe condita millesimo ducentesimo quarto, defuncto Theodosio quadragesimo quarto in numero, Martianus orientali aulę pręficitur Imperator. Caterum Valentiniani tempore huius uel superioris Imperatoris curricula ascribuntur. Igitur Valentinianus occidui rector imperij, pacis ea tempestate fœdera cum Genferico Vuandalorum rege firmavit: certisque spatijs Africa inter utrosque diuisa est. Genfericus de rerum successu tumidus, dum etiam apud suos superbiret, ualida aduersus eum conspiratio est facta. Quorum molitione detecta, diuersis ab eo excruciatu periere supplicijs. Horum siquidem funeribus nō minus uirium amisit, q̄ si exuperatus belli certamine fuisset. Interea rex Hunnorū Attila, dum cum fratre Bleda regnum intra Pannonias, Daciaq; gereret: Macedoniam, Mysiam, & Achaiam, utraq; etiā Thracias immanissima rabie deuastaret: Bledam suum germanum, regniq; consortem peremit, eiusq; sibi parere populos cōpulit. Fultus itaq; fortissimarū gentium, quas sibi subiugarat, pręsidio, ad occidentale demoliendum animum intendit imperium. Erant siquidem subiecti eius dominio rex ille Gepidarū famosissimus Ardaricus, Vualamir etiam Gotthorū regnator, Niso ipso, cui tunc seruebat, rege nobilior: fortissimę nihilo minus gentes Marcomanni, Sueui, Quadi,

Z 3 præterea